

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1509

Autre(s) référence(s) : Fauroux 63 / Tabuteau 151

Auteur(s) : Dreux, Vexin (comte)

Bénéficiaire(s) : Jumièges, Saint-Pierre (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1030, 14 mai-1030, 30 décembre]

Lieu d'émission : Mantes

Action juridique : restitution

Langue du texte : latin

Analyse

Robert le Magnifique souscrit la charte par laquelle Drogo, comte d'Amiens, abandonne tout droit d'avouerie sur la terre de Genainville, autrefois donnée à l'abbaye de Jumièges par sainte Bathilde. Henri Ier roi de France, à la suite de son père Robert, renouvelle la confirmation de cette charte.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Du Monstier Arthur, *Neustria Pia seu de omnibus et singulis abbatiiis et prioratibus totius Normanniae*, Rouen, J. Berthelin, 1663, p. 318-319.
- b. Vernier Jules-Joseph, *Chartes de l'abbaye de Jumièges (v. 825-1204)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1916, 2 vol., n° XIV, p. 46-51.
- c. Fauroux Marie, *Recueil des actes des ducs de Normandie de 911 à 1066*, Caen, Caron (MSAN ; 36), 1961, n° 63, p. 189-192.

Texte établi d'après c

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Ego Drogo, nutu superni Regis comes patrie Ambianensis, vitam et sanitatem christianis omnibus cum vitae utriusque profectibus. Volo notum esse, tam dominis meis quam fidelibus, sociis et heredibus cunctisque quos monet causa vel ratio hujus cartule, hoc quod loquitur, nunc scriptis, olim factis, post alios me firmasse. Regina Francorum Batildis, regi regum ancillata, multimode sicut multipliciter reperitur ejus in gestis, inter cetera quæ reliquit posteris suæ bonitatis exempla, quæ etiam juste constituta sunt in memoria eterna, quandam villam que Genestevilla vulgo dicuntur et proprie in sumptus regios expendebatur, dedit ad Gemmeticensis abbaciæ capitale monasterium, quod in honore Sancti Petri apostolorum principis est antiquitus dedicatum. Illam vero, ne quisquam exinde sibi vendicaret saltem in aliquo violencia cupiditatis humanæ, facto et confirmato legaliter testamento, dedit imperpetuum possidendum jure hereditario, cum suis omnibus appendiciis, mansionibus, ecclesiis, molendinis, aliisque hujusmodi quampluribus, quæ juste vel injuste mundanis usurpantur legibus. Hoc autem, sicut tunc mansit firmatum et postea permansit omnimodis firmum usque ad tempus avi mei, scilicet Waleri, et ejusdem loci abbatis, videlicet Roderici, qui, quorundam secularium malicia urgente coactus, postulavit ab illo ut ex ea terra sibi fieret adversus adversarios advocatus, et taliter legis mundanæ succrescente superfluo usu, coepit fatigari diversi sensus in numero ritu ad votum advocatorum usque ad tempus meum. Quapropter, vir bone memoriae Theodericus, tunc temporis abbas supradicti cenobii factus,

miseriae incolarum condolens, et eam compassionem intima ferens, studuit a me obtinere, meritis et precibus, ut supersticio tanta vel talis abdicaretur penitus. Inde igitur Rothomagensis monetæ sexaginta et duas libras michi obtulit, necnon et sex equos per magni precii presentavit, et insuper tres monachos permisit deinceps futuros assidue in predicto monasterio qui regulariter militarent, pro animarum quarumcumque vellem remedio. Ego autem hominem Dei offendere nolens, immo Deum in homine diligens simul ac formidans, hoc, ut subveniret ad redemptionem animarum suarum a meo et aviæ sub quorum manibus illa xenia increvere, ut adhuc succurreret patri meo vel matri quorum incuria tributarios census constat non tam quiescere quam removeri, ut insuper michi et conjugis mee Etiæ vel Emme nomine cunctisque nostris ex carne nostra heredibus animarum et corporum accresceret salus, recepi oblata, concessi petita, hujus prolocutionis conventione alterna. Quod qualiter actum sit, ut liquido pateat, terram jamdictam que ad supradictam abbaciam, quamvis inquiete, possessive tamen pendebat, quoniam manus nostra et nostrorum consuetudinibus variis et exactionibus diversis eam inquietabat, ligatam exolvi, solutam dimisi, dimissam reddidi, scilicet postmodum immunem a consuetudinaria exactione, securam ab exactoria consuetudine, et, ut brevius et lucidius, dicam, omnino a nostra tam in bono quam in malo advocatione, ut ex integro liberata a nostris nostrorumque legibus monachorum tantummodo Gemmeticensium inserviet usibus, quamdiu moveretur presentis sæculi volubile tempus. Ut autem hujus conventionis laudabile pactum stabile permaneret ex tunc imperpetuum, inde hoc scriptum fieri jussi et manu propria corroboravi. Quod, si quis meorum heredum vel aliorum, quod Deus prohibeat, quorumlibet successorum infringere presumpserit vi vel quolibet ingenio, ex omnibus, quæ loquitur, nedum in multis, salem in uno, imprimis iram Dei omnipotentis incurrat, ejusque Virginis matris ad eum placandum auxilio careat, et a beato Petro celestis aulæ clavigero retrorsum precipitetur atque a sanctis omnibus vinculo maledictionis, nisi resipuerit, constringatur. Anno ab Incarnatione Domini millesimo et .XXX°., indictione .XIIIa., regnante rege Francorum Rotberto, anno regni sui quadragesimo secundo, et filii ejus concorditer cum eo regnantis anno jam quarto Henrici. Actum est hoc, apud castrum Metantem nominatum, sub assignatione horum testium.

S. Ego Henricus, Dei gratia Francorum rex, hanc cartam a beatæ memoriae patre meo Rotberto confirmatam regia auctoritate similiter confirmo, laudo et stabilio. SS. Roberti Northmannorum ducis. SS. Walteri Statuelli. Signum Sansonis de Turri. Signum Arnulfi prepositi. SS. Walteri filii Beboni. SS. Gozelini prepositi. SS. Vuidonis. SS. Genselini. SS. Adonis. Signum Ivo de Archuilo. Signum Odonis Morel. SS. Rainardi sineschal. Signum H. et Zelini clerici. Signum Hildegarii thesaurarii. Signum Drogonis + comitis, qui hanc cartulam fieri jussit. Signum Walteri + filii ejus.